



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nomenclator Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Qvi
Ab Anno Christi Millesimo quippiam commentati sunt, Sev
Ab Eo Tempore quo Pontificis electione ad eos tantum ob
Romani cleri multitudinem ...**

**La Rocheposay, Henri-Louis Chasteigner de
Tolosae, 1614**

A Ioanne XXIII. Creati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10735

*Exemplar vitæ, morum, virtutis & alme
 Professor legis, qualem vix nouerat etas
 Nostra parem; fuit hic Lucas ex ordine nostro.
 Cardinis ad culmen Romanæ sponte vocatus
 Ecclesiæ, verum Legatus postea Summi
 Pontificis moritur, cælum mens ipsa volauit,
 Domini 1411. die 14. Septembris.*

Anno

PETRVS MAVROCENVS Venetus Cardinalis, Iu-
 risconsultus insignis, Iustratis legum penetralibus, scrip-
 sit referente Trithemio,

Super 6. Decretalium commentaria quæ in Bibli-
 otheca vaticana seruantur.

Determinationes varias.

Et alia legum interpretamenta, quæ non medio-
 cri Pontificii Iuris iacturâ in Bibliothecis pulue-
 re obducta delitescunt, vt author est, Marcus
 Mantua Patauinus. Romæ iacet in Ecclesia S.
 Mariæ nouæ cum hoc Epitaphio.

*Hic iacet præclara memoria Reuerendissimus in Christo Pa-
 ter Dominus Dominus Petrus S. Mariæ in Dominica Diaconus
 Cardinalis Venetiarum Iunior nuncupatus, qui obiit anno Domi-
 ni 1424. die xi. mensis Augusti; Cuius anima in pace requiescat.*

A IOANNE XXIII. CREATI.

PETRVS DE ALIACO ex Oppido de Compieg-
 ne, Gallus Cardinalis Episcopus Aniciensis & Camera-
 censis, Ioannem Gersonem auditorem habuit, scripsit-
 que

- In quatuor libros Sententiarum lib. 4.
De laude Sanctæ Scripturæ.
In Principium Marci.
De Stabilitate Ecclesiæ.
Speculum considerationis lib. 3.
Compendium contemplationis lib. 3.
De spiritali scala.
In Psalterium.
Meditationes in Psalmos 70. & 42.
De legibus & sectis.
De Concilio Generali.
De interdicto.
De permutatione beneficiorum.
In libros Meteororum.
In 7. Psalmos Pœnitentiales.
In Cantica Canticorum.
De Oratione Dominica, & super eadem
anagogicè lib. 2.
Super Aue Maria.
Super Magnificat.
In Canticum Zachariæ.
In Canticum Simeonis.
De electione Papæ.
De exercitio Spirituali.
De 12. honoribus Sancti Ioseph.
De anima & accidentibus eius.
Concordiam Theologiæ cum Astrono-
mia & historia.
De Sacramentis Ecclesiæ.
Tractatus super libros Meteororum.
De potestate Ecclesiastica.
De emendatione Ecclesiæ.

Sermones varios.

Epistolasque plures. Obiit an. 1425. Iacetque in
Cathedrali Cameracensi cum hoc Epitaphio.

*Hic iacet Reuerendus Pater Dominus Petrus de Aliaco, Theo-
logiæ Doctor, quondam Episcopus Cameracensis. Orate pro eo.*

Mors rapuit Petrum, petram subijt putre corpus:

Sed petram Christum, spiritus ipse petit.

Quisquis ades precibus fer opem, semperque memento,

Quod præter mores, omnia morte cadunt.

Nam quid amor Regum, quid opes, quid gloria durent,

Aspicis; hæc aderant nunc mihi; nunc abeunt.

THOMAS ARMELINVS Anglus Cardinalis, &
Dunelmensis Episcopus cum esset ingenio acutus, &
Pontificij Iuris peritissimus, varias scripsit, vt refert author
Catalogi scriptorum Angliæ.

ROBERTVS ALVN Cardinalis Anglus, & Sarisbu-
riensis Episcopus, quædam etiam scripsit, vt refert au-
thor Catalogi scriptorum Angliæ. Obiit Constantiæ
4. Septembris 1417. nondum absoluto Concilio.

FRANCISCVS ZABARELLA Patauinus Cardi-
nalis, Baldi, Saliceti & Lignani auditor, Patauii & Flo-
rentiæ publicè leges interpretatus est, scripsitque doctis-
simè

In Decretales.

In Clementinas.

De horis canonicis.

Repetitiones varias.

De Schismate.

Et alia plura. Obiit Constantiæ funebri oratio-
ne à Poggio Florentino pleno ore laudatus, qui
adpetente iam literarum luce in celeberrimo

Constantiensi confessu, eloquentiæ primas tulit, Patauii in Cathedrali cum hoc iacet Epitaphio.

Francisco Zabarelle Florentiæ Archiepiscopo, viro optimo, urbi, atque orbi gratissimo, Diuini, humanique Iuris interpreti præstantissimo, in Cardinalium Collegium ob summam sapientiam cooptato, ac eorumdem animis Pontifici prope Maximo, Ioanne 23. eius senatu abdicato ante Martinum quintum, ob singularem probitatem in Constantiensi Concilio destinato. Ioannes Iacobi viri clarissimi filius id monumenti ponendum curauit. Vixit annos 78. Obiit Constantiæ anno 1417.

A MARTINO V. CREATI.

LVDovicvs ALAMANNVS ex nobilibus d'Arban, Burgundus, Episcopus Maclouiensis & Cardinalis, multa edidit opuscula, & quidem digna, vt refert author supplementi Chronicorum. Iacetque in Cathedrali Arelatensi cum hoc Epitaphio.

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo.

Et subito casu, quæ valere ruunt.

Vnde, sicut Deo placuit, anno milleno quatercēteno, cum quinque deno, luce vero sextâ, mensis Septembris decimâ, bonæ memoriæ Reuerendus in Christo Pater, & Dominus Ludonicus Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ tit. S. Cæcilie presbyter Cardinalis Arelatensis vulgariter nuncupatus, sacre huius basilicæ administrator bene meritus & princeps, vitæ laudabilis, & conuersationis honestæ ad maius vocatus tribunal deuotè viam est vniuersæ carnis & catholicè ingressus. Orate pro eo vt eius anima requiescat in pace.